
OREGON
RULE
CO.
U.S.A.
OREGON
RULE CO.

PA 6706
.D5 G6
Copy 1

PA 6706
.D5 G6
Copy 1

DISSERTATIONIS
DE
DIALOGI DE ORATORIBUS,
QUI
VULGO C. CORN. TACITO INSCRIBITUR,
PRAESTANTIA,
PARS PRIOR.

Einladungsschrift
zu den
auf den 9ten, 10ten und 13ten April
angeordneten
öffentlichen Prüfungen, Redeübungen und Versetzungen
der Schüler
in der St. Katharinenschule in Lübeck,

von
Dr. A. Göring,
Director und Professor.

Im Anhange befindet sich die drei und zwanzigste Fortsetzung von kurzen Nachrichten über die St. Katharinenschule in Lübeck.

Lübeck 1829.
Gedruckt bey Georg Christian Schmidt,
Eines Hochedl. u. Hochw. Raths Buchdrucker.

PA6706
.I5G6

Qui dialogi, de cuius praestantia disputaturi sumus, editiones [1]), quantum in tanta nonnullarum raritate fieri potest, paullo accuratius inspexerit, is sibi facile persuadebit, eorum editorum, qui suam operam in aliorum virorum verbis repetendis coercere noluerint, plurimos id secutos esse, ut critices et inferioris et superioris arte adhibita atque librorum manuscriptorum et vetustissimarum editionum auxilio addito libelli textum, qui ante Lipsium, Taciti sospitatorem, pessime depravatus erat, emendarent et de difficilioribus nonnullis, quae multis doctorum virorum studiis agitatae erant, quaestionibus certius quid statuerent. [2]) Neque profecto quisquam tam est a Musis aversus, qui non, quae hac ex parte ab eruditis libelli editoribus praestita sunt, liberaliter laudet et de curis, quae in hoc libello castigando positae sunt, valde gaudeat. Omitto quae ad eius modi editiones laudandas inde desumi possunt, quod in iis illae partes sustentantur, quas veterum librorum editores tueri maxime decet; nam gravissimus et utilissimus horum labor ita exercetur, ut veterum scriptorum textus castigentur et verborum constructionumque usus ad grammatices criticesque regulas emendetur. Qua in re, si nostrum

---

1) Quae quum in permultis libris, qui veterum scriptorum editiones enumerant, nominentur: non est cur eas repetamus. Recentissima editio, quae hunc libellum ab aliis Taciti, Quinctiliani et Plinii minoris operibus separatum reddit, haec est: C. Cornelii Taciti dialogus de oratoribus, recens. et annot. instr. E. Dronke Confluent. 28. Conferendae sunt nonnullarum editionum praefationes veluti inter recentiores Oberlinianae, Bipontinorum, Dronkianae.

2) Huc referenda est editio, quam modo nominavi, Dronkii. Huius generis sunt si quaeritur: 1) Quis nostri libelli fuerit auctor. 2) Primusne liber sit inter eos, quos Tacitus in vulgus emisisse dicitur? 3) De recto libri titulo. 4) Dialogus vere habitus, an ab auctore fictus sit? 5) De lacunis in libro, utrum plures sint, an paucae; utrum multa verba interierint, an pauca?

librum respicimus, non ignoramus, quam indefesso labore et quam subtili acumine opus sit, si quis in tam larga lectionis varietate, quanta in nostro dialogo cernitur, quae verba genuina sint et quae spuria eruere conetur, et quam accurata et historicarum rerum et dictionis, qua imprimis Tacitus, Quinctilianus, Plinius minor aliique aequales usi sunt, cognitione instructus esse debeat is, qui secundum divinatricis critices regulas de obscuris et ambiguis illis rebus, quas in dubium vocatas esse diximus [3]), decernere velit. Sed haec missa facio; sufficiat laudasse, criticis et grammaticis illis studiis tandem effectum esse, ut, qui hunc libellum legentes delectari velint, non amplius habeant, cur timeant, ne verborum et periodorum contortis conversionibus, quas olim quovis fere versu eos offendisse scimus, a dulcissimo studiorum usu et fructu detineantur.

Ab illis editionibus, quas criticas dixerim, longe distant aliae, [4]) in quibus prolixiori rerum, quae historicarum aliarumque antiquarum rerum artibus suppeditantur, interpretationi longe plurimum tributum est. Tertium quoddam genus addere mihi licebit, cuius auctores, quum scholarum usui se scribere profiterentur et utramque illam rem aliquatenus coniungendam esse existimarent, e tota et antiquarum et grammaticarum criticarumque rerum copia, quae iuvenibus litteras discentibus idonea putabant, selegerunt selectaque proposuerunt. [5])

Quas si perlustraveris omnes, cuiuscunque generis sint, huius rationis et virtutis, quas nosmet ipsi in nostro dialogo maxime conspicuas

---

[3]) V. not. 2.

[4]) E recentioribus huc referuntur: Translatio germanica: Von den Ursachen des Verfalls der römischen Beredtsamkeit. Ein Gespräch aus dem Lateinischen übersetzt und mit kritischen und historischen Anmerk. und Erläut. begleitet von F. F. H. Nast. Halle 87, und C. C. Taciti opera mit Einleitungen u. s. w. von F. K. Weikert. Bd. 1. Leipz. 1813.

[5]) Huius generis sunt: C. C. Taciti Dialogus de oratoribus in usum scholl. recens. et varietatem lectionis adiecit G. Seebode. Goett. 13. eiusque textus longe emendatius repetitus Hannov. 1815. Dialogus de oratoribus s. de causis corruptae eloquentiae vulgo Tacito inscriptus. Recens. variet. lect. et coniecturas eruditorum adiecit, annotat. selecta illustravit F. H. A. Schulze. Lips. 88.

et admirabiles esse arbitramur ideoque pluribus describendas et quasi in lucem proferendas ducimus, perraro signa aliqua et vestigia expressa reperies. Itaque doctissimi illi viri, qui illas editiones paraverunt, in difficilioribus illis et dubiis rebus, quas modo nominavimus, perquirendis, in singulis verbis locisque ad grammatices criticesque regulas examinandis, et in periodorum sensu ex historicis similibusque rebus explicandis magna cum laude occupati fuerunt, sed de venustatis et pulchritudinis rationibus, quibus dialogus mihi quidem inter plurimos, quos posteris relictos habemus, libros excellere videtur, copiosius disserere singulasque huius rei partes accuratius perquirere supervacaneum esse censuerunt. Trita enim, vulgaria et communia sunt quae ad libellum nostrum ab hac parte laudandum scripta leguntur. [6])

Quod quanquam criticarum illarum editionum auctoribus, quum aliorsum tendant, facile conceditur, tamen, ut libere dicam quod sentio, in iis, qui se iuvenum commodis consulturos esse professi sunt, haud temere vituperatur. Est enim unius cuiusque interpretis quae sunt pulchra et venusta non negligere! Quod quum de omnibus omnium librorum interpretibus recte dicitur tum maxime ad eos transfertur, qui vel in iis libris tractandis, qui ab hac parte maximis laudibus dignissimi sunt, versantur, vel puerorum, a quorum rationibus et institutis, quae elegantiae sensum et pulchri iudicium movent et firmant, minime abhorrent, utilitatibus inservire cupiunt. Quod quam verum sit inter interpretes omnes unus sensisse videtur Carolus quidem a Woltmann [7]), qui, quanquam interpretis partes suscipere noluit, tamen, si de dialogi elegantia quae-

---

[6]) V. Edit. Schulzii supra laudat. praefat. p. VIII. Edit. Weikerti T. I. Praef. p. 71. Translat. Nastii praef. p. XXI. sqq. Lipsius quid iudicaverit leges in ed. Oberl. T. II. p. 666. Adde disputationem: Dialogus de oratoribus Tacito vindicatus. Auctore A. G. Langio in actis seminarii regii et societat. philolog. Lips. Vol. I. p. 77. Lips. 1811, quam Dronkius repetendam curavit in ed. huius libelli modo laudata p. XVII. sqq.

[7]) V. Ueber Leben, Geist und Werke des C. C. Tacitus v. C. L. v. Woltmann, in eius translatione germ. operum Tacit., P. V. p. 257 sqq. et P. VI. p. 19 sqq.

ritur, de rerum in libello expositarum serie, de singularum partium coniunctione et de hominum colloquentium urbanitate multo subtilius et accuratius, quam qui olim has res quasi per transennam praetereuntes strictim aspexerant, disseruit. Is quidem in multos huius rei recessus tam acute introspexit, ut, qui sagacem illum ducem in iis, quas adiit, latebris perscrutandis sequitur, recto itinere tutus procedat.

At vero ne iis quidem iudicibus, qui vel de hac venustatis, concinnitatis et elegantiae ratione disseruerunt, in qua diiudicanda omnino diversitati quae est inter hominum, qui quid sit pulchrum et decorum quaerunt, ingenia, aliquid tribuendum est, vel de universa dialogi dignitate et praestantia, in quibus examinandis firma sequi licet praecepta, pauca quaedam verba fecerunt, de utraque re idem statuendum esse visum est. Sunt enim inter ceteros, qui dialogum laudibus exornarunt, nonnulli, qui non modo de hoc ipso pulchritudinis genere aliter censuerint, sed etiam totum libellum minoris aestimandum esse dixerint. Audiamus Ernestium [8]) dicentem: „In libro de oratoribus non eam diligentiam adhibui in notandis lectionibus veterum editionum. Nam nec tanti putabam in isto libello, cui ego nunquam tantum pretii statuissem, quantum vulgo solet; et tanta est multitudo varietatis, nullum magnopere usum habiturae, ut nemini me gratum facturum putarem.“ Item audiamus Wolfium [9]) ita disserentem ut dialogum praeclaris sententiis et locis refertum, ad litterarum Romanarum faciem intuendam et ad salubria monita de optima educatione cognoscenda utilem, sed in genere grandi Taciti ingenio indignum nominet.

---

[8]) V. Edit. Oberlin. T. 1. praef. p. LXI.

[9]) Locos habebis a Langio laudatos pag. XXIII. ed. Dronk. Praef. ad Wolfii editionem orationis pro M. Marcello, p. XXI. XXII. Berol. 1802. et eius Vermischte Schriften (miscellanea maximam partem critica) Hal. 12. S. 158. Sect. XXVIII. Addit Langius V. D.: „Iniquius visum Wolfii super hoc libello iudicium. Eorum autem perversa est laudatio, qui dialogum hunc plane Socraticum nominant, aut perfecti dialogi exemplar haberi volunt. Multum urbanitatis ei inesse video; artem autem Socraticam plane nullam; neque negari poterit, quartam Julii Secundi personam loqui vehementer laborare, quod vel finis dialogi docet; Maternum dominationis laudes in exitu praedicantem, sibi non satis constare, cuncta denique oratoriae magis decla-

Ne igitur de merita, quae a multis interpretibus si minus in omnibus tamen in multis partibus libello concessa est, gloria detrahatur, operae pretium facturus esse mihi videor, si hanc litem in qua de libelli dignitate, pulchritudine et venustate agitur, in iudicium vocaverim. Quo in genere non is sum, qui in vulgaribus et communibus laudibus repetendis me coerceam; ad singulas libelli partes diversasque, quae huius rei sunt, rationes aperiendas descendendum esse videtur. Absunt autem a nostra re de quaestionibus illis, in quibus criticos exercuisse ingenia supra [10]) diximus, subtiles disceptationes; in quibus ne quis magnam vim magnumque momentum ad nostram rem adiuvandam situm esse existimet, nosque, qui illas neglexisse videamur, levitatis coarguat, sufficit indicasse, eas omnes cum nostra re nec arctissime cohaerere, nec, quamvis per se graves sint et ceteroquin ad ingenia acuenda satis idoneae, multum facere ad id, quod de libelli elegantia et praestantia dicendum est, ulla ex parte vel augendum vel minuendum. Quid enim si de libri, qui cum alio nullo veterum libro, nisi forte aliqua rerum expositarum adsit similitudo, apte connexus est, elegantia et venustate

---

mationis, quam familiaris, cum facilitate quadam et negligentia profluentis sermonis speciem prae se ferre." — Breviter addam quid mihi de hoc iudicio statuendum esse videatur. Socraticum hunc dialogum esse vix quisquam defendet; hac in re omnino assentior viro acriter iudicanti, et de vera et genuina Socratici dialogi vi et natura eo minus disputo, quo longius hic colloquendi et animi sensa eliciendi modus, quem nunc quidem Socraticum appellamus, ab eo disserendi genere, quo ipse Socrates utebatur, recedit. De Julio Secundo, ut eum defendam, in secunda huius dissertationis parte, quid sentiam, proferam. De Materno plura habeo, quae illi sententiae opponam; ante omnia decernatur id, quod ambiguum est, a quibus verbis Materni sub finem dicentis oratio initium ducat. Oratoriae declamationis speciem aliquam libellum prae se ferre non nego, sed quum homines, qui colloquuntur, iurisconsultorum partes sustineant, sub primi p. Ch. n. seculi finem vivant atque litteris et scholasticis exercitationibus, quae tum erant, exculti sint, tantum abest, ut hanc speciem vituperem, ut, si non esset, ab auctore eam simulandam fuisse dixerim. Tota enim res ita agitur, ac si sub iudice lis esset, unde leporis et hilaritatis aliquid dialogus traxit. A familiaris sermonis facilitate, quae desideratur, quatenus in scripto dialogo esse debeat, dialogum destitutum esse nego, et negligentiam, si esset, vituperarem.

10) V. not. 2.

quaeritur, refert, utrum a Tacito, an a Quinctiliano, an a Plinio, an ab alio[11]), quicunque demum nominetur, compositus sit, penitus explorasse? Similiter, si forte, id quod plurimis criticis placuit, a Tacito scriptus est noster libellus, quaerere supersedemus, primusne inter omnes libros, quos a Tacito proditos esse accepimus, hic noster fuerit, qui emissus sit, an post alios scriptus? Ponamus hoc ipsum, quod ab iis, qui libellum Tacito vindicant, ut, quae a diverso dicendi genere movetur satis gravis dubitatio, refellatur, necessario affirmandum est, nobis probari, nullus quidem ex hisce altercationibus fructus ab eo percipietur, qui de interna libelli praestantia iudicabit. Ne illud quidem nostra magni interest, ut sciamus, colloquium, quod a praeclaris viris institutum esse narratur, vere habitum, an a libelli auctore ad similitudinem et imaginem vere habiti sermonis fictum et compositum sit? Mihi quidem, quae in utramque partem dici possint, perpendenti, posterius statuendum et colloquium, si non prorsus commenticium, tamen ita, ut vix vere habitum nominari possit, immutatum esse videtur. Haec et quae his sunt similia iudicem de venustate libelli sententiam ferentem non movent, nec ut absolvat librum nec ut condemnet.

Constat autem ab unoquoque iudice, qui litem de libri alicuius praestantia susceptam componere studet, certos quosdam locos aperiendos esse, e quibus, quae in iudicium vocari debeant, aspiciantur et perquirantur. Qui quidem, quum in dialogo recensendo versemur, ab iis,

---

11) Nominantur praeter tres, quos laudavi: M. Valerius Messala, Curiatius Maternus, Suetonius. Alii qui de hac re disputarunt cum Lipsio consentiunt dicente: „Itaque ambigo; at quum multa dixerim claudo tamen omnia et signo hoc responso: mihi non liquere“ v. ad init. dial. T. II. p. 670. Opp. Tacit. ed. Oberl. In primis de hac re conferenda sunt Prolegg. Schulzii editioni supra laudatae praemissa et Langii disputatio supra nominata, cum additamentis nonnullis repetita in ed. Dronkii p. XVI. Frotscheri verba haec sunt: Plinium iuniorem esse, equidem alio tempore et loco me probaturum spero. Quint. X. C. 3. §. 22. not. p. 152. Virorum doctorum quorum alii aliud secuti sunt nomina leges collecta in libro iuvenibus utilissimo: Geschichte der römischen Literatur von J. C. F. Bähr, Carlsruhe 1828, §. 267. Klossmanni quae ibi laudantur Prolegomena in nostrum dialogum Vrat. 19. inspicere mihi non est concessum.

quae dialogo propria esse debent, et a praeceptis, quae, qui sunt artium, penes quas harum rerum iudicium est, periti, tradunt, maxime repetendi sunt. Quos dum patefacimus, vehementer petimus, ne quis obliviscatur, nos in eius modi re explicanda versari, in qua omnino pulchritudinis et elegantiae sensui, qualem quisque vel a natura insitum vel arte et studio excultum habet, aliquid tribuendum sit, sensumque illum tam subtilem et reconditum esse solere, ut, quae ei sint maxime accommodata, perspicuis et aptissimis verbis difficilius indicentur et ex absconditis animi latebris operosius expromantur. Quae sequentur, nisi fallor, aequis iudicibus probabuntur.

Disputandum est, si vulgaria, quae sunt omnibus scribendi generibus communia, praecepta nunc non attingimus, primum de *materia*, quae in dialogo exponitur, idque dupliciter instituendum est; refertur enim haec disquisitio tum ad totam et primariam rem, quae libro proposita est, examinandam, tum ad singulas quasque eius partes notionesque adiunctas, quas, qui librum scripsit, ut id, quod vellet, consequeretur, vel ipse excogitavit vel aliunde desumpsit, perscrutandas. In quibus, ut exempla habeamus, quaerendum est, quatenus quae scripta legantur non solum per se vera, gravia et copiosa sint, neque tamen arida, ieiuna et a facundia, lepore et hilaritate quadam aliena, sed etiam ad id, quod dialogo proprium est, in quo omnia hominum colloquentium moribus bene depictis accommodata esse volumus, consequendum, idonea et apta. Deinde disputandum esse videtur de toto, quo scriptor usus est, rerum disponendarum exponendarumque genere et modo de omnibusque, quae, qui sunt harum artium antistites, sub *formae* vocabulo comprehendunt. Sed in hac quoque parte duae imprimis res sunt examinandae; primum de universa operis forma quaeritur; huc referuntur, ut exempla proponam, quae de colloquendi ratione et genere sunt dicenda; cur hoc dicendi genere auctor usus est? an collocutores bene elegit? quibus moribus eos exornavit? suos quisque mores bene servavit et ita ut agnoscantur aperuit? rerum hominumque dissimilitudine et varietate delecta-

mur? omnia quae peraguntur ita descripta sunt, ut ea non legere sed oculis cernere et intueri nobis videamur? Deinde ad elocutionem qua in singulis quibusque rebus declarandis et in pluribus coniungendis usus sit auctor animus convertendus est, ut quas dictionis et styli, quem vocant, virtutes esse scimus recenseamus, et quid hac quoque in parte praestitum sit cognoscamus. Quos locos si persiquiverimus et quae in libro legerimus ad earum artium, penes quas harum rerum iudicium est, praecepta revocaverimus, tum demum de libri venustate et elegantia haud temere iudicabimus. Jam, quantum fieri poterit, hinc ordinem sequemur, atque primum de dialogi *materia* disputabimus.

Inscriptionum, quae in libri fronte legi solent, neutra [12]), quicquid Lipsius dicat [13]), rem, in qua exponenda sermo continetur, ita ut probes indicat. Antiquior illa quae in codd. Vatican. [14]) legitur: *dialogus de oratoribus*, praeterquam quod rem latius patentem et ampliorem denuntiat et indefinite posita est, legentium animos eo deducit, ut longe alius rei quam quae in libro explicatur interpretationem exspectent. Cui qui confidit vel clarorum oratorum enumerationem et censuram, vel disputationem aliquam Ciceronianae illi, quis egregius sit orator, exponenti similem a se lectum iri sperabit. At vero in breviore quadam libri parte nonnulli tantum pristini temporis oratores enumerantur, et quae de iis iudicia feruntur ea non ita pronuntiantur, ut quavis ex parte quanti fuerint cognoscamus, sed ut antiquioris temporis oratores non perfectos fuisse intelligamus. Posterior quae est *de causis corruptae eloquentiae*, praeterquam quod dubium est, utrum ab ipso libri scriptore profecta sit, an e Plinii [15]) se de causis corruptae eloquentiae scripsisse testantis verbis assumpta, quum eloquentiam *corruptam* nominet, iudicii, quod libri

---

12) De oratoribus; de causis corruptae eloquentiae.

13) V. Ed. Oberlin. P. II. p. 670. not.

14) V. Ed. Dronkii annotat. ad. C. 1. p. 57. Cf. Edit. Weikertii T. 1. p. LXIII. locosque ibi laudatos.

15) V. de instit. orat. L. VI. Prooem. T. VIII. c. 6. Cf. Ed. Weikertii T. 1. p. LXIII. locosque ibi laudatos, imprimis Spaldingii annot. ad Prooem. Lib. VI. institut. Quinct.

auctor liberum et ab omni opinione praecepta alienum servari vult, integritatem tollit et abripit. Profitetur quidem libri auctor se quaestioni, cur sua aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retineat [16]), responsurum esse, sed id ipsum nos non movet, ut eum corruptae ipsius eloquentiae causas expositurum esse exspectemus. Praeterea, qui colloquentes inducuntur viri lenioribus verbis utuntur; tam provide et circumspecte agunt, ut, quum non desit, qui diversam quoque [17]) partem suscipiat et recentiorum temporum eloquentiam antiquorum ingeniis anteferat, non simpliciter quaerant, cur corrupta sit eloquentia, sed explorent, quae sint infinitae illius inter antiqua et recentiora tempora, si de eloquentiae laude disputetur, differentiae causae [18]), item cur in tantum ab antiquorum eloquentia recesserint recentiores. [19]) Sunt quidem loci, ubi Maternus et Messala disertiores fuisse antiquos et degenerasse eloquentiam dicant, atque se sui temporis eloquentiam minus quam eam, quae olim floruerit, perfectam habere profiteantur; sed quum Aper id ipsum negare videatur, quum non de interna eloquentiae vi et natura sermo fiat, sed cur recentior eloquentia orbata sit gloria[20]), et pristini temporis oratores eminentiores fuerint quaeratur, atque Maternus petat, ut causae, cur recentiores ab antiquorum eloquentia recesserint, neque vero cur ipsa eloquentia corrupta et in peius mutata sit, reddantur, vix quisquam obtinebit, verba illa de *corruptae* eloquentiae causis libri argumento satis idonea esse et apta. Neque tamen hoc ita accipiendum est, ut quae diversis temporibus diversae fuerint immutatae eloquentiae causae, eae ad rerum eventum et seriem, historico quasi modo, qui procedentis temporis decursum per gradus sequatur, enumerentur, et singulatim, quam unaquaeque causa eo, quo orta sit, tempore habuerit

---

16) V. Dial. nost. ab init.

17) V. c. 1.

18) V. c. 15. 24. 27.

19) V. c. 25. 27.

20) V. c. 1. c. 28.

vim, exponatur. Nam id, quod a Messala dictum legitur [21]), postea negligitur, et ad communes causas in universum enumerandas sermo reflectitur. De ea tantum totius rei conditione, quae eo tempore erat, quo dialogus habitus esse fingitur, pluribus disseritur, eaeque duntaxat immutatae eloquentiae causae, quae tum invaluerant, perquiruntur. Ea omnia, quae ab historia repetita sunt, non ideo scripta sunt, ut, quomodo procedente tempore sensim sensimque eloquentiae forma per gradus quasi corrupta sit, cognoscamus, sed ut pristinam eloquentiam non quavis ex parte perfectam sed naevis quibusdam maculisque conspersam fuisse intelligamus. — Paulo accommodatius ad argumentum indicandum in aliarum editionum frontibus haec verba leguntur: Cornelii Taciti dialogus, an sui saeculi oratores antiquioribus et quare concedant.

Quae quum ita sint, non nego, me in hac re, quae subdifficilis et lubrica mihi videtur, diutius haesitasse, et quibus verbis dialogi argumentum breviter comprehenderem et redderem dubitasse. Sed quae in primis dialogi verbis et postea de puerorum educatione [22]) atque de immutatis dicendi exercitationibus leguntur, ea me movent, ut argumentum in eo, quod ipse Maternus identidem proponit, contineri existimem: Causae, cur recentioris temporis oratores a veteribus recesserint sive cur oratores non amplius ii sint, qui fuerint, exponuntur.

Quum primum illud, quod, ut dialogus aliquis laude dignus existimari possit, efficit, e materiae, de qua disputetur, natura ex eiusque delectu ab auctore prudenter instituto pendeat: nostri libelli argumentum eius esse generis, ex quo, quas Horatius coniunctas esse vult, utilitas et voluptas percipiantur, dicendum est. Quae materia qualis esse debeat si non statim apparet, tamen ab iis, qui rhetoricae artis periti sunt, saepissime praecipitur, eam ita comparatam esse debere, ut qui legant non solum propter eius gravitatem et dignitatem se doceri gaudeant, sed etiam propter eius iucunditatem et suavitatem animum commoveri et delectari sen-

---

21) V. c. 27. Ut appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia.

22) C. 28 sqq.

tiant. Ea igitur materia eligenda est, quae, praeterquam quod per se gravis sit atque cognitu digna, sermoni, qui inter homines litterarum studiis excultos fieri solet, apta sit et accommodata, e diversis locis considerari possit, facetias et leporem recipiat, et urbanitati atque facundiae locum det. Adde quod cuique dialogum scribenti recte praecipitur, ut hominum, qui disputantes inducantur, mores dissentientes et ingenia dissimilia sint, atque huius diversitatis ratio et in rerum expositione et in verborum ad hominum moribus accommodato delectu ubique sustentetur et manifestetur. Quo fit, ut, quum non quaelibet materia huic rei, quae difficillime servatur, pariter consentanea et idonea sit, inter ceteras res, quae certum quoddam argumentum eligenti propositae esse possint, ea praeferenda sit, quae huic consilio aptissima esse videatur. Subtilem aliquam mathematicorum aut philosophorum quaestionem, quae e reconditis et abstrusis harum artium partibus expromitur, et in qua explicanda singula quaeque eo referuntur in eoque coercentur, ut quae obscura et contorta sint perspicua et explicita fiant et ex argumentis arctissime connexis colligantur, nemo fere dialogo et sermoni, in quibus quae dicuntur hilaritatem, venustatem et urbanitatem prae se ferre debent, perinde habebit idoneam atque eam ipsam rem, quam qui in nostro dialogo disputant exponunt. Habeant collocutores ubi naturam et mores, mentes et ingenia patefaciant. Et in verbis et in rebus et in toto cogitandi sentiendique genere et modo, quales sint demonstrare seque ipsos, dum quid sentiant profitentur, ita describere et depingere debent, ut nobis legentibus praebeant, unde uniuscuiusque hominis distinctam et accuratam imaginem eamque ab aliorum, qui adsunt, effigie dissimilem nobis fingamus. Ita demum fit, ut eorum qui legunt amor et studium commoveantur, qui absunt praesentes esse videantur, et rerum a disserentibus amicis expositarum vis atque momentum propter ipsorum hominum sensa et verba, quae cum rebus ipsis mirifice consentiant hisque vigorem quendam et colorem addant, augeantur. [23]) Sed longum est de his, quae in

[23]) Quae in rhetoricorum libris de iis, quae dialogis propria esse debeant, praecipiuntur, hanc rem subdifficilem mihi nondum tam subtiliter, ut non habeamus quae

bono dialogo scribendo servanda sint, quaeque ei propria esse debeant, disputare; Periculum est, ne haec res sua vi nos agat transversos! Quid igitur multa? Longe plurima, quae in hanc, de qua disputamus, rationem cadunt, eo referuntur, ut materia gravis sit, cognitione digna, ubertate plena, varietatem recipiat, diversis hominum moribus accommodari possit atque facundiae, lepori et hilaritati locum concedat.

Quod si ad nostrum colloquium transferimus, omnino habemus, cur rerum expositarum delectum, quem Quinctilianus e felicissimi ingenii ubertate profectum vocaret, admirantes, in hac operis parte ea, quae recte postulantur, praestita et peracta esse dicamus. Nec solum de universa illa re, quam toti libro subiectam esse credimus, sed etiam de singulis quibusque, quae adiunctae sunt, partibus et ad quas leviter perstringendas, ut inter amicos familiariter colloquentes fieri solet, sermo a recto itinere paullulum deflectere et aberrare videtur, idem affirmandum est.

Nam si de gravitate et dignitate rei, quae in disceptationem vocatur quaeris, paucis haec questio absolvitur. Quid opus est multis, quum vix quisquam sit qui de eloquentiae omniumque, quae ad eam referantur, unquam dubitaverit dignitate et gravitate! Veremur potius ne quod Sophistae cuidam in praeclarissima quadam re laudanda diutius commoranti accidisse dicitur, idem in nos cadat, ut sit qui quaerat, an quis unquam de rei laudatae laudibus dubitaverit? Meminerimus autem, ut, quanti quaecunque in eloquentiae rationem cadant, habenda sint, plane intelligamus, quanta vi illa apud Graecos Romanosque in iudiciis domi-

---

desideremus, illustrare videntur. Id quod legimus apud Sulzerum: Theorie der schönen Künste, Th. 2. S. 409: „Es wäre der Mühe werth, daß Jemand den eigentlichen Charakter des Gesprächs, den sich dazu vorzüglich schickenden Inhalt und dann den besten Vortrag desselben besonders untersuchte" non illis tantum sed nostris quoque temporibus scriptum dixeris. Quae in additamentis ad Sulzeri librum laudatur disputatio: Ueber Handlung, Gespräch und Erzählung: Neue Bibliothek der schönen Wissenschaften und freien Künste, Bd. 16. S. 177, quanquam subtiliter et acute est scripta, tamen totum huius rei ambitum non complectitur, sed accuratius eo refertur, ut quid inter res nominatas intersit in lucem proferatur.

nata sit, in consultationibus regnaverit, in magnorum virorum laudibus celebrandis valuerit, denique quanto studio a Romanis, quod ad universam civitatis disciplinam constituendam et ad civium animos in publicis rebus administrandis regendos plurimum fecerit, tractata sit et exculta. Quae quum nobis obversentur, quo altius eam assurrexisse et praevaluisse scimus, eo magis miramur, quod eam brevi delapsam et neglectam iacuisse ipsi Romani querantur, eoque magis gaudemus, quod, quae huius conversionis fuerint causae, eae ab ipsis Romanis civibus, qui priorum temporum gloriam iamiam interituram deplorent, expositae nobis tradantur. Accedit, quod quo maiore studio veteribus de huius facultatis gloria, quam e recentioribus vix singuli adepti sunt, invidemus, eo vehementiore favore et sollicitudine, quae eam et auxerint et imminuerint percipiamus.

Sed ne forte e multis rebus unam pulcherrimam et dialogo aptissimam oratio transiliat, dicendum est, nos in toto colloquio legendo in ea arte consideranda versari, quae inter omnes, in quibus de pulchritudine et venustâte praecipitur, satis eminet et excellit. Quod ut permultum facit ad mentem nostram alliciendam, ita laeta nos erigit spe, fore, ut quum in re, quae elegantiae et pulchritudinis praecepta proxime attingat, versemur, eiusmodi verba legamus, quae ab hac pulchritudine nitidum quendam colorem traxerint. Nam ut pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat, ita orationem rerum natura mutat et fingit, et ut de magnis elate, de parvis tenuiter dicimus, rebusque aliis aliud dicendi genus congruit, quod praeceptum qui eleganter scribunt nunquam negligunt, ita vel nobis invitis e diversa rerum natura diversum orationis genus exoritur, et succus quidam atque color, qui e rerum vi et ratione effluit, per omnes orationis partes aequabiliter diffunditur. Quum igitur de eloquentia disseratur, qua in arte satis multa ad id quod pulchrum est et decorum referuntur, ad omnia urbanitatis et facetiarum genera, quae facunde disserentibus et lepide iocantibus in promptu esse possunt, facilis aditus aperitur.

Quo in genere non est, quod timeamus, ne forte spinosis et infinitis verborum concertationibus a suavi delectationis, qua in legendo frui cupimus, usu arceamur. Nam in dialogo non id agitur, ut reconditae et abstrusae rhetoricae artis partes et praecepta, quae e disciplinae visceribus exprompta sint, subtiliter tradantur, sed ut rei ab historia repetitae et mutationis alicuius e rerum temporumque serie profectae causae colligantur collectaeque describantur. Inde fit, ut duarum illarum disciplinarum, quae eruditissimos quosque maxime solent delectare, historiae quidem et philosophiae, fontes adeundi sint. Historia enim rerumque huc pertinentium ordo, quae eloquentium hominum artisque ab iis expolitae conditio fuerit et quibus conversionibus artis usus turbatus sit, nobis ostendunt, atque ad causas, quibus eloquentia depravata sit, cognoscendas nos deducunt. Philosophia autem res ab historia traditas et segregat et connectit, atque quam quaeque uniuscuiusque rei conversio ad eloquentium hominum gloriam et perfectionem deprimendam habuerit vim, exquirit et perscrutatur. Accedit, quod quae causae disputantibus amicis ad eloquentiae usum convertendum aliquid fecisse visae erant, eae certo quodam ordine disponendae et coniungendae erant, ut alia alius vim et auctoritatem firmaret, omnesque e serie, quae dialogo congrueret, sese exciperent. Quem ordinem bene servatum esse postea dicemus. Quo intelligitur quantum dialogi praestantia inde adiuvetur, quod qui legant et ad historiarum studia recolenda accedant, et philosophorum, causas rerum intelligentium earumque progressus et quasi antecessiones coniungentium, muneribus fungantur.

Sed ex eodem fonte, e quo haec omnia deduximus, largissima maximarum et suavissimarum rerum, quas in colloquio expositas habemus, ubertas et varietas effluunt. Nam si exordium, quod ad rem propositam explicandam aptissime et suavissime sumptum esse postea demonstrabimus, exceperis, hominibus, cur oratores non amplius ii sint, qui fuerint, perquirentibus, sine dubio primum de eo, quod inter antiquos et recentiores oratores interesset, deinde de ipsis causis, e quibus haec diversitas

exorta esset, disserendum erat. Prius illud absolvitur inde a cap. XVI. usque ad cap. XXIV., posterius inde a cap. XXIV. usque ad dialogi finem tractatur.

Causarum, ut ab hac parte initium sumamus, nominantur tria genera, quorum primum situm est in depravata puerorum educatione (c. XXVIII. u. a. c. XXXIII.), alterum in mutatis exercitationum generibus (c. XXXIII. u. a. c. XXXV.), tertium in conversa et reipublicae administrandae et iudiciorum habendorum ratione, quae eloquentiae et usum et gloriam imminuerit. (c. XXXVI. u. a. f.)

Quae causarum genera, quorum ultimum in plures commode dividitur species, animo comprehendenti apparet, libelli scriptorem causas enumerantem ab ea initium duxisse, a qua, si pueri ad eloquentiam informandi essent, iniunctum munus susciperet. Primum de parentum, quorum sollicitudini puer mandatus est, cura loquitur; deinde ad scholarum studia recensenda accedit; tum ea omnia, quae, si publicae vitae lux affulget et apud iudices dicendum est, ad eloquentiae usum moderandum aliquam habent vim, persequitur. Quem rerum ordinem describentes non possumus quin breviter dicamus, neminem fore, cui non, unde Quinctilianus suum opus aggrediens praeceptorum initium duxerit, in mentem veniat. Quae in hac re inter nostrum et Quinctilianum similitudo intercedit, eadem in multis aliis locis e diligentissima quaque nostri colloquii et Quinctilianei operis lectione clarissime elucet. Sed nunc nostrum non est, quae sit non modo in tota hac re sed etiam in singulis querelis, quae de puerorum educatione tum depravata apud nostrum leguntur, cum sententiis a Quinctiliano[24]) dictis similitudo, exponere. Sufficit nobis dixisse, scriptorem, quum a prima puerilis aetatis parte rem repetiverit, puerumque, donec causas ageret, deduxerit, in copiosissima et uberrima materia, quae educationis et eruditionis est, pertractanda versari. Primo enim loco, quae privatae et domesticae educationis ratio apud Romanos fuerit, describitur. Res ita explicatur, ut simul haud pauca de

---

[24]) V. de instit. orat. L. I. c. 1. 2.

communi et quotidiana vivendi consuetudine, quae Romae invaluerat, legamus totiusque domesticae vitae aliquam nobis fingamus imaginem. Quem locum si leges, eo maiore delectatione frueris utilitatemque maiorem percipies, quo plura ex iis, quae tradita sunt ab auctore, non illis quidem, quibus ipse utebatur, temporibus sed nostris, quae iisdem fere vitiis contaminantur, rationibus scripta esse inveneris. Praeclarissimis et utilissimis praeceptis omnia abundant! Quae secundo loco posita est causa, ea aliorsum nostram mentem deflectit, ad litterarum quidem studia et ad exercitationum, quibus qui iam adolescebant, ut bene dicerent, erudiebantur, varia genera. Qui locus quanquam arctioribus finibus circumscribitur, in exercitationum ad eloquentiam augendam aptarum generibus recensendis proxime continetur, et mutilus est, tamen haud pauca proponit, quae, qualis universa omnium litterarum discendarum apud Romanos fuerit ratio, indicant, et quae a praeceptoribus, qui iuvenibus erudiendis vires addixerint, utilissime cognoscuntur. Saluberrima et maxime frugifera insunt monita et exhortamenta, quae ad nostra tempora recte transferuntur. Tertius locus sine dubio multo amplior est et uberior. Ad publicas enim res considerandas, ad iudiciorum romanorum formam et consuetudinem cognoscendam, ad totam vim, quam universa civitatis ratio ad eloquentiam mutandam habeat, examinandam, quin etiam ad diversum modum, quo civitatis disciplina, quae ab uno regitur et quae a pluribus, universam civilium rerum salutem augeat minuatve animo complectendam nos deducit. Est igitur maximarum et gravissimarum rerum, quae e diversissimis locis, ab educationis ratione, a litterarum studiis, a civitatis disciplina depromptae sunt, larga copia et suavis varietas!

Qua rerum ubertate ut vel magis delectemur duplici quodam auctor usus est artificio. Alterum in eo cernitur, quod amicos propositae rei causas investigantes non solum de minoribus quibusdam partibus, quae illi primariae finitimae sunt, dissentientes finxit, sed etiam admodum diversis ingeniis moribusque induit et suam [25]) quemque animi ingeniique formam

---

25) V. c. I.

ubique et sustinentem et reddentem optime et accuratissime depinxit. Similes quidem in eo sunt, quod magna doctrinae et eruditionis gloria excellunt, vehementi quum omnium litterarum tum eloquentiae amore incenduntur et iurisconsultorum arti, quam in foro vel exercent vel exercuerant, eximiae eloquentiae laudem addunt, sed in nonnullis rerum, quas quisque defendit, partibus et multo magis in pluribus ingenii facultatibus, animi virtutibus et dicendi generibus adeo discrepant, ut quum haec discrepantia per totum libellum optime descripta et in singulis quibusque verbis accurate reddita sit, admirabilis quaedam varietas et iucundissima diversitas exoriatur. Sed quum pleraque quae huius rei sunt, atque inprimis ea omnia, quae de morum in colloquentibus amicis conspicuorum diversitate dicenda sunt, ad *formam* dialogi referenda sint ad eamque constituendam plurimum fecisse mihi videantur, quae de hac re, quanquam uberrimum pulchritudinis locum recludunt, exponenda erunt, in illum locum differantur. Multiplices autem variique ex hoc fonte exorti sunt loci, e quibus una eademque res ab aliis aliter considerata est.

Alterum artificium, quo auctor usus est, in eo cernitur, quod ne in ulla quidem graviore argumenti parte consideranda ita coercemur et detinemur, ut in uno tantum tempore et aevo intuendo atque contemplando subsistamus et haereamus. Nam ubique duae aetates, quae multis partibus differunt, et duae artium, quae in iis floruerint, rationes, ita sibi opponuntur, ut alteri parti ab altera clarior quaedam lux affulgeat. Quicquid consideres, sive eloquentiam sive educationem, sive exercitationem sive iudiciorum formam et reipublicae disciplinam, ubique contrarias atque oppositas et praeteriti et praesentis temporis imagines adumbratas et dissentientes antiquorum et recentiorum mores descriptos intueberis. Quo auxilio, quod in omnibus rebus illustrandis nunquam non plurimum facit ad animos excitandos commovendosque, quum auctor ubique usus sit, in qualibet dialogi parte plurima illa fruimur delectatione, quae e diversarum et oppositarum rerum comparatione ad peritissimum quemque iudicem uberrime redundat. Quantum inde rerum locorumque copia augeatur facile apparet.

Jam de illa libelli parte [26]), in qua ipsae causae, cur oratores ab antiquorum eloquentia recesserint, exponuntur, satis multa dixisse mihi videor, ut quae atque quanta, quam varia et copiosa sint, quae legantur, constet. Venio ad illam partem, quae in libello huic causarum enumerationi sine dubio praemittenda erat et in qua, quid inter utriusque aevi oratores interesset, statuendum erat.

Quo in loco si quis ieiunam et nudam singularum rerum, in quibus ab antiquioribus oratoribus recentiores discesserint, enumerationem exspectaret, vehementer deciperetur; sed idem, nisi fallor, ab elegantiae et pulchritudinis ratione aberraret. Nec fieri poterat, ut dissimilitudinis, quae inter utriusque aetatis oratores intercedit, singulae partes minutatim et membratim recenserentur. Sunt enim in eiusmodi re permulta, quae elegantiae sensui et iudicio, quae in diversis hominibus diversissima sunt, relinquenda videantur; praeterea oratorum alius alia virtute excellit, et inter seriores haud pauci prioribus illis, si non omnibus laudibus dicendique generibus, tamen multis iisque dissimilibus aequiparant. Neque id voluit auctor, ut qui aetate posteriores essent contemnerentur, superiores laudarentur, sed ut causae, cur ab his illi recesserint, investigarentur. Quam ob rem Aper, cui hoc munus, ut quomodo aetates differrent, exquireret, commode impositum erat, rectissime rem ita vertit, ut quam vaga et ambigua sit rei, quae ad litterarum studia referatur, definitio aliqua, quae a temporis et annorum ordine desumatur, luculenter ostendat. Totum eloquentiae habitum et vultum animo complectendum et considerandum esse affirmat, atque quaerendum: isne mutatus sit? nec fieri posse, ut haec mutatio, si quando rem converterit, ab uno homine et anno profecta dicatur. Intelligit igitur de eloquentiae vultu disserens totum dicendi genus, eloquentiae quasi colorem, diversamque disserendi speciem et effigiem. Hunc autem colorem omnino mutatum esse concedit; sed quum plura sint eloquentiae genera, quae cum temporum conditione et vicissitudine mutentur, aliud alii simpliciter praeferendum esse negat. Pendet enim

---

[26]) V. c. 16. u. a. 24.

haec mutatio atque ipse honor, qui eloquentiae generi alicui habetur, a communi et universa uniuscuiusque aetatis cultura et a diverso hominum sensu, quibuscum rebus eloquentia debet congruere e quibusque, secundum earum diversitatem, ipsa eloquentia dissimilem trahit colorem. Nec adeo ieiunam et pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re benedici, nisi uno genere, non possit, quo praeclusa nobis a prioribus via sit.

Qui locus ne vel rerum obscuritate aliqua vel orationis exilitate laboret, multis exemplis ita distinguitur et illustratur, ut et praeclarissimi prioris temporis oratores recenseantur, et quae in iis vituperanda sint exponantur. Quo fit, ut, dum veteres illi enumerentur, simul singulae partes in quibus posteriores a superioribus maxime recesserint nominentur atque uberrima rerum et exemplorum copia nobis proponatur. Nam qui sermonem ab Apro habitum diligenter perlegerit, ea ipsa, in quibus posterioris aetatis eloquentia a superiore discesserit, exposita esse intelliget. Postulat enim serior aetas ampliorem doctrinam et eruditionem, subtiliorem artem, quae orationes ad disciplinae rationem revocat ex eaque componit, magis ornatam et limatam elocutionem, magis splendidum et quasi poetico colore tinctum descriptionum nitorem, largiorem sententiarum ubertatem et copiam, et maiorem dicendi brevitatem ad gravissimas uniuscuiusque causae partes illustrandas sufficientem, nec a re, quae in controversia est, aliorsum aberrantem. Hoc modo Aper omnino et suas partes et dialogi munera sustinuisse censendus est; quid, quod ita iis satisfacit, ut rerum copiam admiremur, exemplorum multitudine et iudiciorum de priscis oratoribus latorum subtilitate delectemur, nec in tanta et rerum et exemplorum varietate ullo taedio afficiamur.

Nec omittendum est, huius rei exponendae munus ipsi Apro, nec alii cuiquam, optime mandatum esse. Ceteri enim amici haud ambigue a *veterum* oratorum partibus se stare et his favere significaverant; erat igitur, quum non id ageretur, ut utrius aetatis eloquentia praestaret, decerneretur, cur vituperationis a recentioribus oratoribus ad veteres transferendae locus concederetur. Ne hos quidem, qui a reliquis amicis praeferuntur, a criminibus et vitiis puros et integros fuisse, copiosius de-

monstrandum erat, ne, si iis praestantia simpliciter et nude concederetur ipsa pristini temporis eloquentia laudis aliquid inde traheret, et disputantes amici studio aliquo et amore deciperentur. Aper autem, qui acer, vehemens et contentiosus fuisse dicitur, hosque mores satis detegit, ne aliorum conspiratione recentiora tempora inaudita et indefensa damnentur, multo cum ardore suas partes sic occupat et defendit, ut eum ad mores, quibus indutus, et ad scholasticas exercitationes, quibus assuetus erat, accommodatissime dicere profitearis.

Restat ut de exordio[27]) et de re, in qua haec sermonis pars versetur, dicamus. Huic quidem dialogi parti haec maxime, quae tum e communibus omnium principiorum praeceptis, tum e singulari dialogorum ratione ducuntur, propria sunt. Naturae et disputantium amicorum rationibus accommodatum sit prooemium; rem per se satis gravem si non perquirat, tamen ita tangat et degustet, ut totius operis legendi amor et studium excitentur; eius argumentum ita eligatur, ut cum re, in qua controversia erit, arcte cohaereat; legentes ad ea, quae sequentur, mente percipienda bene praeparet et sensim deducat, iisdemque multa, unde statim ab initio eorum, qui collocuturi sint, mores et ingenia, si non accurate cognoscant, tamen suspicentur et cogitatione praesumant, praebeat; nec brevius sit, quam totius sermonis spatium exigit, nec longius. Haec sunt, quae, si dialogi rationem aliquam habere, nec universa omnium principiorum praecepta exponere placet, praemonenda videntur. Nam communia illa praecepta quae e veterum arte eo redeunt, ut qui audiant benevoli, attenti et dociles sint, hoc loco explicare meum non est.

Quum celeberrima fori romani ingenia et viri quum omnium litterarum tum poesis, eloquentiae et iurisprudentiae peritissimi convenisse fingantur: rerum conditioni et hominum dignitati consentaneum est, si de re aliqua, quae ex harum artium visceribus repetitur, sermo exoritur. Accuratius autem haec res eo definitur, quod Maternus omissis forensium causarum, quas antea exercuerat, studiis omne tempus viresque

---

[27]) V. c. IV. u. a. XIII.

poesi [28]) et carminibus tribuere statuerat, quod consilium Aper, qui totus est in forensibus iurisconsultorum artibus et orationibus defendendis, reprehendit. Itaque ad rem, quae in principio disceptatur et quae in comparatione continetur, utra ars sit praestantior, oratoria et praecipue ea, quae in foro exerceatur, an poetica, satis commode deveniunt. Eandem rem cum totius libelli argumento, quod antea descripsimus, arcte coniunctam esse, facile concedes, quum a disputatione aliqua, quae de forensis eloquentiae utilitate et voluptate suscipitur, ad insequentem illam, quae immutatae eloquentiae causas perscrutatur, transitus in promptu sit et in proclivi.

Sed hunc ipsum decursum, quamvis per se ob rerum similitudinem acceleretur, auctor mirifice eo adiuvit, quod priore illa re breviter exposita intervenit Messala, qui ab argumento huc usque perquisito amicos eo deflectit, ut ad rem, quae antea in disquisitionem vocatae finitima et propinqua est et in controversia esse debet, fusius explicandam accedant. Sic enim in vitae quotidianae sermonibus fieri solet; interveniente et disputationem interpellante amico sermonis filum si non discinditur, tamen paulo aliter atque antea factum erat nectitur. Sed hoc vinculum, quod rerum similitudine iungitur, eo aptius constringitur, quod Aper et Maternus, quum suam quisque artem, quam vehementi amore complectitur, laudet, copiosissimum habeant locum, in quo, quibus moribus studiisque ornati sint, detegant. Suam enim quisque et ingenii et animi formam, quum suae artis, cuius utilitatem et voluptatem mirifice effert, amore et studio abripiatur, ita patefacit, ut qualis quisque sit, quas partes in reliquis dialogi partibus secuturus et quo dicendi genere postea usurus sit, non amplius dubitemus. Quantus in his moribus depingendis artifex sit is, qui sermonem composuerit, quantum huc pertinet, saepius monuimus. Itaque, quum quartus amicus interveniat [29]) Messala, priorum illorum mores ita habemus perspectos, ut intentior quaedam cogitatio ad hunc, qui acce-

---

[28]) C. III. IV.

[29]) C. 14. Quartus dicitur Maternus; Aderant Aper, Maternus, Julius Secund., cf. not. 23.

dit, Messalam convertatur. Nam quod hic eo ipso, quo advenire fingitur, tempore intercedit, id, praeterquam quod alioquin rei consentaneum est, quo minus prooemium ultra iustum et reliquis dialogi partibus idoneum spatium producatur, prohibet.

Quam dubitationem, an forte exordium ultra modum extentum sit, qui movet, is iam eo refelli potest, quod de hac re, quum quanta dialogi pars perierit, ignoremus, certi quid statuere nequeamus. Utinam longius esset, si amplior ambitus cum reliquarum partium longitudine congrueret, et propter fines his constitutos produci posset! Nam etiamsi reperiantur, qui dubitent, in iucundissima illa, quae inter eloquentiae et poesis utilitatem et voluptatem, instituitur comparatione, utrum rebus et sententiis, quae ad utrumque studiorum genus extollendum ab Apro et Materno expositae sunt, maiorem laudem tribuant, an verbis et dicendi generibus, quae diversis disserentium amicorum ingeniis accommodatissima sunt: tamen nemo non profitetur acriorem, vehementiorem atque copiosiorem Apri orationem non minus quam remissiorem, dulciorem et quasi divino instinctu traditum Materni sermonem, omnium, qui in legendo doceri, moveri et delectari velint, optatis respondere.

Quae ex partitione, quam supra proposuimus, supersunt exponenda, ea, constitutum rerum ordinem servantes, deinceps, si vires suppetent, ita persequemur, ut de dialogi *forma* dicamus. *)

---

*) So groß, während der ersten zwölf Jahre meiner hiesigen Amtsführung, mein Glück darinn war, daß ich, eine Reise in das Carlsbad abgerechnet, nur ein einziges Mal durch eine Unpäßlichkeit, und zwar nur durch eine viertägige, an Abwartung der Schulpflichten gehindert wurde, ein Glück, welches wohl nicht viele Directoren ausgedehnter Schulen für einen gleichen Zeitraum von sich preisen können: so merklich hat sich dieser Umstand in diesem dreizehnten Jahre meines Hierseins geändert. Ungerechnet, daß eine Krankheit in der letzten Woche vor den letzten Sommerferien eine Störung in dem Schulgange veranlaßte und mir selbst die Ferien hinwegnahm, hat ietzt ein schon wochenlanger Kampf gegen die Natur, mich von einem neuen Krankenlager nicht retten können. — Hiedurch wird der Abdruck der zweiten Hälfte der obigen kleinen Schrift, da das Programm doch zur bestimmten Zeit ausgegeben werden soll und muß, wiewohl ich dieselbe fast ganz ausgearbeitet habe, verhindert.

Schulnachrichten.

Die Lehrverfassung und die Lehrbücher sind, nach den letzten Veränderungen von Ostern 1827, unverändert geblieben. (Vergl. das Programm von Ostern 1828 S. 23. folg.)

Eine Lehrerveränderung trat in so fern ein, als der erste Lehrer im Rechnen und Schreiben, Hr. J. C. Hasse, welcher im Jahre 1802 bei der St. Katharinenschule angestellt worden war, auf sein gehorsames durch Kränklichkeit und Altersschwäche begründetes Gesuch, durch die Gewogenheit der Herren Scholarchen Magnificenzen, von seinen Amtsgeschäften unter Beibehaltung von der Hälfte seines Gehaltes mit dem Anfange dieses Jahres frei gesprochen worden ist. Dadurch ward es nothwendig, die bisdahin parallel liegenden 5 Rechnenklassen in vier und die ebenfalls parallel liegenden 3 Schreibklassen in zwei zusammen zu ziehen, auch, wo eine solche Zusammenziehung nicht füglich Statt finden konnte, die übrigen erledigten Stunden anderweitig zu besetzen. Von diesen übernahm Hr. Schliemann wöchentlich vier Stunden und der hiesige ehemalige Seminarist Hr. Eschenburg wöchentlich sechs Stunden, bis Ostern. — Dann überraschte uns die Nachricht von dem Tode unseres Collaborators, Hrn. Friedrich Ludolph Boye. Er starb im 66ten Lebensjahre nach längerer Abnahme der Kräfte, die aber doch einen so baldigen Tod nicht ahnen ließ, nach einem Krankenlager von wenigen Tagen, am 19. März. An unserer Schule unterrichtete Er seit mehreren Jahren wöchentlich nur noch in vier Stunden in der Religion in Kl. 6. u. 7. In Seinem zweiten Wirkungskreise, als Präceptor an der hiesigen St. Annen Kloster-Kirche auch Armen- und Werkhause, war er in allgemeinerer und nützlicherer Wirksamkeit geblieben.

Als eine neue Einrichtung, von welcher, neben anderweitigen vielfachen Vortheilen, Beförderung der Sittlichkeit und des Fleißes unter den Schülern zu hoffen ist, habe ich zu nennen die Festsetzung einer besonderen unter dem Vorsitze eines von Einem Hochedlen Rathe dazu verordneten Commissarii jährlich zu haltende Prüfung mit solchen Schülern des Gymnasii, welche die Erlaubniß zu erhalten wünschen, um hiesige Stipendien für Studirende sich bewerben zu dürfen. Da die über diesen Gegenstand ergangene und durch den Druck zur allgemeinen Beachtung bekannt gemachte hohe obrigkeitliche Verordnung vom 12ten Jul. 1828 die einzelnen Bestimmungen vollständig nachweiset: so ist hier nur das anzuführen, daß im Verfolge dieser Verordnung die für diesen Zweck besonders bestimmte schriftliche und mündliche Prüfung zum ersten Male im November des Jahres 1828 gehalten wurde. Die Zeugnisse über das Ergebniß dieser Prüfung, welche denen, die zur Theilnahme an Stipendien für würdig erkannt worden sind, eingehändiget werden, und von denselben bei Bewerbungen um Stipendien an die Herren Verleiher vorzuzeigen sind, stimmen in ihrer äußeren Gestaltung im Ganzen mit denjenigen überein, welche den zu Universitäten abgehenden Gymnasiasten

bei ihrem Abgange von der Schule gegeben werden. (M. s. die Einladungsschrift zu den Prüfungen um Ostern 1828. S. 30.)

An Geschenken erhielt die Schule:

1) Mehrere Naturalien, Steine, Conchylien und einige andere Sachen. Sie wurden, bisher auf der öffentlichen Stadt-Bibliothek aufbewahrt, zur erfreulichen Erweiterung unserer Schulsammlung und zu einem gemeinnützigeren Gebrauche, mit Genehmigung und auf Verfügung von Ihro Magnificenzen, den Herren Vorstehern der öffentlichen Bibliothek an die Schule abgeliefert, und mit der auf der Schule bereits bestehenden und durch Hrn. Dr. Westerwick geordneten Sammlung vereiniget.

2) Einige Exemplare von der topographischen Charte des Gebiets der freien Hanse-Stadt Lübeck, 1827 herausgegeben von H. L. und G. Behrens, und von dem Grundrisse der freien Stadt Lübeck, aufgenommen von H. L. Behrens, Hauptmann und Ritter. Lübeck 1824. Beides ist abgegeben durch den Hrn. Synd. Dr. Gütschow.

Michaelis 1828 wurden vier Jünglinge zu Universitäten entlassen, nachdem Jeder eine Prüfungsarbeit eingereicht hatte. Die Namen der Abgehenden und die Titel der von denselben, nach der Ihnen frei stehenden Wahl, gelieferten lateinischen Abhandlungen waren: 1) von L. Preller aus Hamburg: Comparantur bucolica Virgilii et Theocriti carmina. — 2) Von F. A. Esmarch aus Kiel: Quid valeat historiae studium ad mentem excolendam animumque emendandum exponitur. — 3) Von R. von Gundlach aus Torriesdorf im G. H. Mecklenburg: Explicatur, quomodo factum sit ut sacrorum emendatio ab Husso suscepta minus prospere quam a Luthero instituta successerit. — 4) Von G. Meyer aus Grundshagen im G. H. Mecklenburg: Quaeritur, cur religio apud Romanos publice recepta moribus emendandis haud multum profuerit.

Zur Hinleitung auf die Entlassung der Jünglinge sprach ich in lateinischer Sprache: über die letzten Zwecke der Bildung auf Gymnasien.

Alle übrigen Einrichtungen zur Beförderung und Aufrechthaltung des Unterrichtes und der Zucht sind unverändert beibehalten und durchgeführt worden. Auch der besondere Unterricht in der Religion für solche Schüler, welche Ostern confirmirt zu werden wünschen, wurde im Winter wiederum ertheilt, für diesen Fall vom Hrn. Prof. Grautoff.

Anzahl der Schüler.

	Kl. I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	Summa.
Von Ostern bis Johannis 1828	34	28	56	74	66	22	7	287
Von Johannis bis Michaelis	35	26	54	75	65	22	7	284
Von Michaelis bis Weihnachten	38	27	52	77	65	23	8	290
Von Neujahr bis Ostern 1829	35	23	47	76	65	23	8	277

Die Prüfungen und Versetzungen, deren Ankündigung die Bestimmung dieser Schulschrift ist, werden in folgender Ordnung gehalten werden:

I. Prüfungen.

A. Von Klassen des Gymnasii.

(Donnerstags, den 9. April.)

Vormittags um 9 Uhr: Deutsche Geschichte, Kl. 3. Hr. P. Kunhardt; Von 10 Uhr: Französische Sprache, (Auswahl von Siefert) Kl. 1. Hr. C. Roquette; — Von 11 Uhr: Mathematik, Kl. 1. Hr. P. Grautoff. — Nachmittags, von 3 Uhr: Alte Geschichte, Kl. 2. Hr. P. Ackermann; — Von 4 Uhr: Griechische Sprache, (Jakobs Elementarbuch) Kl. 3. Hr. C. Mosche.

B. Von Klassen der Bürgerschule.

(Freitags, den 10. April.)

Vormittags, von 9 Uhr: Mittlere Geschichte, (fünfte Abtheilung) Hr. C. Poser; — Von 10 Uhr: Geographie von Deutschland, (sechste Abtheilung) Hr. C. Overbeck; — Von 11 Uhr: Lateinische Sprache, (Uebersetzung aus dem Deutschen in das Lateinische) Oberquinta, Hr. Dr. Zerrenner. — Nachmittags, von 3 Uhr: Lateinische Sprache, (Uebersetzung aus Bröder) Kl. 4. Hr. Dr. Tiburtius; — Von 4 Uhr: Französische Sprache, (siebente Abtheilung) Grammatik, Hr. Caleau.

Probeschriften und Probezeichnungen werden bei den Prüfungen vorgelegt werden, auch die von den zu Universitäten abgehenden Primanern in lateinischer Sprache verfertigten Prüfungsabhandlungen. Diese sind über folgende von den Abgehenden gewählte Gegenstände verfertiget: 1. von C. H. Dettmer, aus Lübeck: Orationum ab Hermocrate et Euphemo apud Camarinenses habitarum interpretatio. (Thucyd. d. bello pelopon. VI. 76. sqq.) — 2. Von C. T. A. von Plessen, aus Kiel: Quaeritur, quibus rebus factum sit, ut Britannorum mercatura magis floreat, quam ceterorum populorum Europaeorum. — 3. Von O. Kunhardt, aus Lübeck: Quae contra Ciceronem oratorem dicta sunt, ea refelluntur. — 4. Von P. N. H. Carstens, aus Lübeck: Diversa Graecorum Romanorumque philosophorum de finibus bonorum placita colliguntur et comparantur. — 5. Von F. C. E. Wächter, aus Lühburg im G. H. Mecklenburg-Schwerin: Disputatio de sacris expeditionibus, in qua, quibus de causis exortae sint et quid ad rerum, quae tum erant, statum commutandum fecerint, breviter exponitur. — 6. Von H. C. H. J. Lampe, aus Bremen: De assidua classicorum librorum lectione Jurisconsultis utilissima. — 7. Von R. C. Eckermann, aus Ratkau im H. Holstein: Quibus rationibus iuvenis commoveri potest, ut prae

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 005 3

ceteris litterarum generibus, medicorum artibus, quanqua
et exerceantur, studia sua tribuenda esse censeat? — 8. Von R. F. von Grä=
venitz, aus Waschow im G. H. Mecklenburg=Schwerin: Exponuntur incommoda, quae inde, quod imperatores Germani ab Ottone magno usque ad Rudolphum Habsburgicum Italiam sub suum imperium redigere studebant, orta sunt Germaniae. — 9. Von F. Kirchner, aus dem G. H. Weimar: Breviter exponitur de vita et meritis C. Linnaei.

II. Redeübungen und Versetzungen.

(Montags, den 13. April, Nachmittags um 3 Uhr.)

Da meine Gesundheitsumstände mir nicht verstatten werden, in unserem Hörsaale, in welchem, von meinem Standorte, selbst für eine deutliche und helle Stimme, eine allgemeine Verständlichkeit nur durch eine sehr bedeutende Anstrengung erreicht werden kann, auch dieses Mal mein bisheriges Verfahren fortzusetzen und einen zwiefachen Vortrag zu halten: so werde ich die Schulhandlung gleich mit der Versetzung der Schüler der ersten Klasse eröffnen. Dann wird der abgehende Primaner C. H. Dettmer in einer von Ihm aufgesetzten lateinischen Rede sprechen über die Frage: Quibus rationibus animum, ad litterarum studia feciliter suscipienda necessarium, ne considerata rerum discendarum copia et difficultate frangatur, maxime confirmamus? Hierauf werde ich unter einigen Ermunterungen, theils an unsere Schüler überhaupt, theils besonders an die zu Universitäten Abgehenden, diese Letzteren unter Einhändigung der Schulzeugnisse entlassen.

Zwischen den folgenden Versetzungen der Schüler aus den übrigen Klassen, declamiren:

Der Secundaner H. Thornton: Empfindungen an einem Frühlingsmorgen, von F. Kirstner.
Der Terzianer H. M. Goldenbaum: Mary, the Maid of the Inn, v. Southey.
Der Terzianer J. Bartelmann: Le retour dans la patrie, v. P. J. de Béranger.
Der Quartaner Fr. Christern: Der gelähmte Kranich, v. C. E. v. Kleist.
Der Quintaner G. Wachenhusen: Ritter Toggenburg, von v. Schiller.
Der Sextaner F. Fehling: Die Spinne, von Langbein.

Die hochgeehrten Aeltern unserer Schüler und die geneigten Gönner und wohlwollenden Freunde der Schule, werden um Ihre gütige und theilnehmende Gegenwart bei diesen öffentlichen Schulhandlungen gehorsamst ersucht.

Lübeck, den 2. April 1829.

Göring.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 005 3

9/21/12
87
dissertationisde00grin
00030920053
10020895
Dissert
de ora
C. Corr
p